



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid dicatur esse Sacramentum coenae Dominicae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ex Aaronis successione ordinatos, 3. Reg. 14. & rex qui volebat adolere incensum in domo Dei, lepra percussus, 2. Paral. 28. filij Sceuæ lacerantur Act. 19. &c. Et sicut sine potestate & efficacia est, quando hæretici sibi constituunt sacerdotes, eligunt ac præficiunt regem, sicut fecerunt Anabaptistæ Monasterienses, ira & electio sacerdotij extra formam Ecclesiæ Dei, non est efficax. Qui igitur vult sacerdotem agere, videat ut non solum sacrificet, sed etiam quantum in se est, doceat, instituat, exemplo suo pascat, administret Sacramenta, & errantes conuertat, &c.

## CAPVT X.

## ARGVMENTA.

1. *Quid dicatur esse Sacramentum Cœnæ Domini.*
2. *Quamobrem potissimum à Christo sit institutum.*
3. *Vtrum fides huius Sacramenti, id est, passionis Christi, an esus ac potus remittat peccata.*

**H**OC Sacramentum est verus sanguis & caro Christi, sicuti iam post ascensionem suam in cœlis ad dexteram Dei patris sedens habet, sub specie panis & vini. Hoc patet & firmissimè creditur ex disertis verbis Christi, quando in vltima sua cœna sine omni parabola sic locutus est, tenens manu panem, & dixit: Hoc est corpus meum, & ostendens calicem, inquit: Hic est sanguis meus: non dixit, Hoc est sanguis, figura, aut significat corpus meum &c. Sed inquit essentialiter quòd est corpus suum. Sic Apostolus 1. Corinthiorum vñdecimo vocat corpus Domini

CC mini

mini contra Sacramentarios. Est igitur in hoc Sacramento anima Christi & corpus & sanguis viuens, atque Deitas, quæ nunquam separatur à corpore & anima Christi atque sanguine: ideoque adoramus hoc Sacramentum propter coniunctam ibi & præsentem Deitatem, quod alioqui non fieret. sicut enim Christi corpus fuit adoratum à tribus Magis, Matth. 2. & à cæco nato, Ioan. 9. & ut cæteris scripturæ locis præbatur, sic etiam iam sub specie panis & vini non manentibus, sed transsubstantiatis totaliter in corpus & sanguinem Christi per virtutem verbi consecratiui, sicut vinum ex aqua fuit factum, Ioan. 2. adoratum quia Christus non dixit, Hic panis est corpus meum: sed simpliciter & nudè, Hoc est corpus meum: etsi Paulus vocat panem, 1. Corint. 11. non tamen vocat panem naturalem manentem, sed quia de panis iam factum est corpus Christi. Sic scriptura vocat hominem cinerem & terram, non quòd sit, sed quia de terra in hominem conuersus est, & sicut Paulus iubet bibere calicem, sed nunquid bibitur calix? Immo sanguis Christi bibitur, &c.

2. Secundò, Christus instituit hoc Sacramentum in memoriam passionis suæ pro nobis factæ, Luc. 22. cum inquit, Hoc facite in meam commemorationem, & 1. Corint. 11. Institutum est autem, ne tanti beneficii obliuisceremur, scilicet quòd ipse pro nobis peccatis mortuus est, pro illis satisfaciendo, Rom. 14. & patri nos reconciliaret, ut propter illius meritum & effusum sanguinem saluaremur æternaliter. Ioan. tertio, utque propter nomen eius omnia nobis vitæ necessaria donarètur in corpore & anima, Ioan. 16. Si quid petieritis patrem meum in nomine meo, &cæt. Hæc beneficia nobis collata ex Christi memoria esse corpus & sanguinem suum: ut sensus nostri perciperent, oculi viderent redemptorem, autem